


Sic Rectæ AC & BD connectunt re-
ctas AB & CD; AC quidem ad partes A
& C, BD verò ad partes B & D: Ergo &
ipsæ æquales sunt & invicem Parallelæ.
Atq; ideò quidem sunt æquales, quia
sunt distantia æqualium Parallelarum: Parallelæ sunt, quia
Parallelæ aliæ æquales, earum sunt distantia.



VIII. Si Parallela Parallelas connectant, erunt opposita lineæ æ-
quales.

Veritas manifesta est ex proximè priori Theoremate.

CAPUT IV.

De

ORTU ANGULORUM, EORUN-
demq; speciebus.

Concurfus duarum linearum mutuus, de quo hacten-
us egimus, etsi spacium nondum concludit, sed hi-
atum saltem aliquem facit, ad Angulorum tamen,
quos & ipsos partes diximus Triangulorum, doctrinam nos
invitat.

Anguli enim in genere fiunt in linearum illo mutuo
concurfu.

Cum enim Linea cum lineâ ita concurrat, ut in pun-
cto incidentiæ per eam non transeat, ad punctum
illud incidentiæ necessariò fiunt duo anguli qui-
cunq;

Iiq; vel Recti vel Obliqui.

Anguli Recti sunt, qui tum fiunt, quando linea una in
alteram

C 2